DE

SIRONA DEA

PROLUSIO I.

SIMUL

EXAMINIS ET LUSTRATIONIS SCHOLASTICAE

SOLENNIA

JUSSU ET AUCTORITATE

VENERANDI CONSISTORII

D. D. XXVII. XXVIII. XXIX. AUGUSTI ET I. SEPTEMBRIS CIↃIↃCCCVI

IN GYMNASIO FRANCOFURTENSI

PUBLICE CELEBRANDA

EA, QUA DECET, PIETATE ET OBSERVANTIA

INDICIT

FRIDERICUS CHRISTIANUS MATTHIAE,

PH. D. GYMNASII RECTOR, SOCIETATIS SCIENTIARUM UTILIUM, QUAE ERFORDIAE EST,
MOGUNTINAE ARTIUM ET SCIENTIARUM SODALIS.

6

FRANCOFURTI AD MOENUM.

Quum mense Aprili cIↄIↄCCCIII fons ille salutaris prope Oppenhemium, in ipsa Rheni ripa, Batavi cuiusdam, qui eius aquis diuturna aegritudine se levatum esse affirmabat, cura et sumtibus restauraretur ut eius in posterum commodior usus esset; inter alia minoris momenti quae hic recensere nil interest, unde tamen colligere licebat, iam Romanos aquarum Oppenhemiensium virtutem non ignorasse, inventus quoque est lapis votivus ([1]) cum hac inscriptione:

DEO
APOLLINI
ET SIRONAE
IVLIA FRON
TINA
VSLLM

Equidem ut ante hos tres et quod excurrit annos, titulo ad me perlato, de Sirona, eruditis tantum non incognita, paullo accuratius dispicere operae pretium esse duxi, ita hodie, quum Gymnasii nostri solennia sint indicenda, rem ab instituto non plane alienam me facturum esse arbitratus sum, si ceteris, quae ad Sironam spectant, in-

(1) Aere expressus conspicitur in fronte libelli eo tempore editi: *Vorläufige Nachricht über die Niersteiner Mineralquelle.*

scriptionibus in unum collectis primum aliorum de ea sententias exponerem et examinarem, et deinde, quod tamen alteri prolusioni reservandum erit, quid mihi ipsi de illo, quodcunque tandem fuerit, numine statuendum esse videatur, cum eruditis communicarem.

Praeter inscriptionem igitur Oppenhemiensem, quae hodie ad fontem ipsum muro cellae illius, ubi aquae hauriri et urcei impleri atque signari solent, inserta conspicitur, non nisi tres aliae eiusdem generis mihi hactenus innotuerunt: de quarta enim, ut mox videbimus, adhuc dubitare licet. Quarum prima (2):

APOLLINI
GRANNO ET
SANCTAE
SIRONAE
SACRVM

asservata Romae in Sancto Silvestro, sola est, in qua nomini Deae *Sanctae* addatur epitheton, unde tamen nihil, quo notio numinis accuratior constitui possit, colligi posse videtur (3). *Altera*, quae Brettae, vico Transilvaniae ad amnem Sargetiam, in aedibus dominorum Ostrohiensium fuit (4), talis est:

(2) Ap. Gruter. p. XXXVII. n. 10. Ceterum Romae duo templa S. Silvestri esse video.

(3) Quum Ovidius (Metam. IX. 692.) Bubastin *Sanctam* vocarit, Jablonskius, de eius perpetua virginitate agens, Panth. Aeg. II. p. 62. „*non alia*, inquit, *quam haec fuisse videtur causa*, *quod Ovidius Deam hanc* sanctam Bubastin *dicendam esse censuerit. Apud Romanos enim* sancta *et* virgo *aequipollent*, *estque* sancta *pudicarum apud eos appellatio.*" Videtur vir doctissimus, dum haec scribebat, non meminisse inscriptionum illarum in quibus Sancti et Sanctae vocantur Dii Deaeque sine omni castitatis respectu. Habemus Sanctam *Venerem* ap. Reines. class. I. n. 95. p. 128. *Amorem* sanctum dixit Catull. LXIV. 95. *Herculem* Phaedrus V. 4. 1. et sanctum *Martem* observavi nuper in inscriptione Lancastriensi ap. Küttnerum, *Reisen durch England* T. II. Lips. 1803. p. 141.

(4) Apud Gruter. p. XXXVII. n. 11. De Bretta mihi non constat. Sargetia, in cuius

APOLLINI GRANNO
ET SIRONAE (5) DIS PRAE
SENTIB. Q. AXIVS AELI
ANVS. V. E. PROC. AVG. C.

Videmus hic Sironam deam *praesentem* vocari, quod notandum est. Ceterum hae duae inscriptiones diu solae fuerunt, in quibus nomen Sironae occurreret: quae ubinam inventae fuerint, quod scire nostra sane multum interesset, nusquam adnotatum reperi. *Tertiam* deinde, anno superioris seculi X repertam ad oppidum *Gros-Botwar* in ducatu Wirtembergiensi, et Stuttgardiae asservatam, primus aeri incisam edidit SATTLERUS (6), quam neglectis literarum ductibus et apicibus, quos typis imitari non licet, hic exhibeo:

IN. H. D. D. APOLLINI ET SIRONAE
AEDEM CVM SIGNIS. C. LONGINIVS
SPERATVS. VET. LEG. XXII. PR. P. F.
ET IVNIA. D * VA CONIVNX. ET. LON
GINI. PACATVS MARTINVLA HILA
RITAS. SPERATIANVS FILI. IN
SVO POSVERVNT V. S. L. L. M.
MVCIANO ET L. FABIANO COS.

Hic lapis, anno CCI aerae Christianae a Veterano legionis XXII, cuius in nostris regionibus tot monumenta supersunt, Apollini et Sironae

alveo Decebalum Traiano imperatore thesauros suos abdidisse novimus, hodie est Istrig. Nescio an de hoc Brettae vico cogitaverit Hübnerus in libro cui nomen est Zeitungslexicon, ubi: „Brettige, ait, *kleiner Ort in Siebenbürgen*, 2 *Meilen von der Ungarischen Gränze*".

(5) Apud Gruterum perperam excusum est SIRONIAE. Sumta est inscriptio ex Zamosii *analectis Antiqq. Daciae* cap. 8. quem librum mihi evolvere non contigit; Marcus tamen Velserus, qui, ut Gruterus, Zamosio fonte usus est, recte dedit SIRONAE. vid. *Rerum Augustanarum Vindelicarum* libb. VIII. Venet. 1594. f. p. 246.

(6) Allgemeine Geschichte Würtenbergs, Frankf. und Leipz. I. Theil 1764. 4. Tab. III. ad p. 144.



dedicatus, perquam sane memorabilis videtur, quo magis est dolendum, periisse signum Sironae cuius in titulo mentio fit, unde fortasse disquisitioni nostrae lucis aliquantum accedere potuisset.

Hae sunt quatuor illae inscriptiones in quibus Sironae nomen haud dubie occurrit. Vidimus eam nunquam memorari solam, sed iunctam semper Apollini, qui bis Granni cognomen gerit: amboque in illa inscriptione, quae Brettae in Transilvania fuit, *Deos praesentes* (7) nominari. Quid inde cum aliqua probabilitate colligere liceat, alias videbimus: nunc quidem, antequam ad alia transeamus, nonnihil dicendum erit de lapide, cuius formam cum epigraphe, a SCHOEPFLINO (8) primum exhibita, OBERLINUS (9), Argentoratensis Academiae decus, aeri incidendam curavit, atque ad Schoepflini sententiam illustrare conatus est. Hic, ut reliqui, quos recensuimus, lapis est votivus, inventus in fano Lotharingiae S. Naboris (S. Avaud) anno CIↃIↃCCLI, habetque anaglypham deae DEIRONAE iconem, quam plane singularem Oberlinus nobis ita descripsit: „Pectore tenus repraesentatur, rigidis comis, supra frontem in cincinnos assurgentibus indeque ad aurium regionem usque recta defluentibus, a quibus dein ad apsidis, in qua tota effigies sistitur, marginem transversim diducuntur. Collum pectusque tota vestis tegit, ita adstricta, ut vix plicas ullas videre liceat, paenulam, arcto collari instructam, haud male diceres" et quae sequuntur. Inscriptionem vero iconi subiectam, insolentioribusque quibusdam literarum ductibus insignem, ita nos legere iubet Oberlinus:

(7) Θεοὶ παραστάται, σωτῆρες, usu loquendi tritissimo, ut ap. Ovid Fast. V. 135. 136. *Stant quoque pro nobis et praesunt moenibus Vrbis: Et sunt praesentes auxiliumque ferunt.* Et Virgil. Georg. I. 10. *Et vos, agrestum praesentia numina, Fauni, etc.*

(8) Alsatia illustrata To. I. p. 588.

(9) J. D. Schoepflini museum lapidarium ex recensione Jer. Jac. Oberlini, c. fig. III. Partes, Argent. 1770 – 1774. 4. p. 15. Tab. I. fig. 2.

DEAE DEIRONAE
MAIOR MA
GIATI FILIVS
V. S. L. M.

Habemus igitur hic Deironam Deam, quam equidem non statim eandem cum Sirona esse putaverim, etsi ante hos triginta annos Oberlini hanc fuisse video sententiam. Quamvis enim apud Graecos literas S et D in quibusdam vocibus promiscue usurpari seu permutari certissimum sit, nescio tamen an, quod apud Graecos sine dubio interdum obtinuit, etiam ad Sironam nostram pertinere possit, cuius nomen utrum Graecum sit nec ne, adhuc examinandum restat. Ego ingenue fateor, me, si in his hariolari vellem, potius eo inclinaturum, ut Dironam compararem cum Divona Ausonii (10); litera enim E, sive potius lineola transversa, characteri D inclusa, casu quodam irrepsisse videri potest, et si R facillima conjectura in B mutaveris, DIBONAM habebis nullo fere negotio. Iam B et V tam saepe permutari quis nescit, ut fere pro una eademque litera haberi possint?

Sed Dirona valere jussa redeamus ad Sironam, de qua in iis, quae de obscuris Deorum nominibus disputarunt Sponius et Bimardus (11), frustra quidquam quaesieris. Factum est autem, ut, quum inscriptiones illae apud Gruterum, ex quibus solis nomen Sironae

(10) *In claris urbibus* XIV. 31. 32. „*Salve, urbis* (Burdigalae) *genius, medico potabilis haustu*, Divona *Celtarum lingua, fons addite Divis*." De quo loco ita Bouche, *Chorographie de Provence* p. 91. „Diuuona en langue celtique signifioit anciennement fontaine des Dieux . . . . . Et aujourdhuy encore parmy les Bretons Diuu signifie Dieu, et Vonam une fontaine."

(11) Jac. Sponii ignotorum atque obscurorum quorundam Deorum Arae notis illustratae, in Gronov. Thes. Antt. Graecc. Vol. VII. — De Diis quibusdam ignotis, praesertim Gallicis, diatriba Josephi de Bimard la Bastie, in Muratorii Nov. Thes. Vett. Inscriptt. Mediol. 1739. sqq. fol. Tom. I. p. 49. sqq.



eruditioribus olim erat cognitum, hanc cum Apolline conjunxissent, Sirona vulgo Apollinis soror, sive Luna, sive Diana, fuisse crederetur. Et primus quidem qui, quantum scio, hoc interpretandi genus secutus est, et doctrinae aliqua specie sententiam suam, cui plerique deinde suffragati sunt, commendavit, fuit Burcardus Gotthelf Struvius ([12]), qui satis fidenter, et quasi ex tripode, „Sirona Dea, inquit, nulla alia est quam Ἄρτεμις seu Diana, quae Hesychio Saronia Dea a sinu Saronico dicitur; sinus autem hic Megaridis Graecorum regionis pars erat." Ita Struvius: sed videamus singula.

Primum Sironia nulla est, quod supra ostendimus, sed Sirona, etsi hoc leviusculum: deinde verum non est, Hesychium Artemidem vocare Saroniam, nam is ex Achaei deperdito quodam dramate, *Theseo*, cognominis illius mentionem facit, quod acceperit Artemis a sinu Saronico in Troezeniorum regione ([13]). In universum tenendum est, Saroniae cognomen, ut Junonis Argivae, Laciniae, et alia huiusmodi innumera, ad solum locum, ubi Artemidi templum consecratum fuit, spectare, de cuius cognominis origine varia excogitavit Gramaticorum seu acumen seu ineptia. Legimus apud Pausaniam ([14]), Saronem, antiquissimum Troezeniorum regem, in ipso maris litore Dianae templum struxisse: hunc postea, quum cervum persecutus in mari perierit, sepultum fuisse ad Phoebaeam paludem, quae et ipsa Saronidis nomen ab eo acceperit, in templi illius a se conditi ambitu. Mox, paludis Saronidis et templi Artemidis Saronidis iterum men-

(12) B. G. Struvii Antiquitatum Romanarum Syntagma, Jen. 1701. 4. p. 92. unde alii deinde, ut Hederichius in Lexico mythologico, et recentissime Funkius in Lexico reali et scholastico, sua hausisse videntur.

(13) Σαρωνία, Ἄρτεμις. Ἀχαιός, Θησεῖ. ἀπὸ τοῦ ἐν Τροιζῆνι Σαρωνικοῦ κόλπου. De Achaeo, sive potius de Achaeis duobus tribusve, videndus Fabricius Bibl. Graec. Lib. II. cap. XIX. et quae ibi adnotavit Harlesius Vol. II. pag. 279. 280. ed. novissimae.

(14) Pausan. II. c. 30. pag. 182. Kuhn.

tione facta ([15]), narrat quotannis festum, Saronia dictum, celebratum fuisse. In his omnibus historica nemo fere quaesiverit. Geographicorum vocabulorum origines, ut fieri solet, repetuntur a fictorum regum nominibus: habebant paludem Saronidem, templum Artemidis Saronidis, sinum Saronicum; quae nomina ut explicarent, excogitasse videntur Saronem illum mythicum regem. Atque eandem rationem in tota regum Troezeniorum serie, quam nobis exhibet Pausanias, observare licet. Antiquissimus enim fuisse dicitur Orus, unde nomen regionis Oraea; hunc excepit Althepus, Ori ex filia Leïde nepos, a quo rursus regio Althepia nominata fertur. Successit Saron ille de quo diximus: sequentes reges ignorantur usque ad Hyperetem et Antham, Neptuni et Halcyones filios, Atlantis nepotes, unde urbes Hyperea et Anthea. Filius deinde Anthae, Aëtius, regnat cum Troezene et Pittheo: Pittheus, Troezene mortuo, incolis Hypereae et Antheae in unum congregatis, civitatem ita constitutam nominat Troezenem.— Sunt et aliae nominis sinus Saronici etymologiae, quas discere licet ex Eustathio ([16]); nulla tamen luculentior et verior mihi esse videtur illa, quam memorat Plinius ([17]): „*sinus Saronicus olim querno nemore redimitus, unde nomen; ita Graecia antiqua appellante quercum.*"

Sed quaecunque tandem causa fuerit, cur Diana Σαρωνία, sive potius Σαρωνίς, appellaretur, Struvii sententiam levem et infirmam esse facile, si quid video, intelligitur. Quis enim sibi persuadeat, graecum quoddam Dianae cognomen, idque peculiare Troezenidi, quod praeter

(15) Ib. capp. 31. et 32. p. 186. 189. Kuhn.

(16) Ad Dionys. Perieg. 422.

(17) Hist. Nat. IV. s. 9. p. 264. Bip. Quum σαρωνὶς non sit quaelibet quercus, sed *antiqua* et *putris*, Plinius scripsisse videri potest: ita Graecia *antiquas* appellante *quercus*.



Achaeum Tragicum,) Euripidis aequalem, neminem Deae tribuisse scimus (nam apud Pausaniam Σαρωνία *festi*, Σαρωνὶς Dianae nomen est), qui ipse non nisi in Theseo, dramate, quod aiunt, locali, illud adhibuit, post multa secula lapidibus votivis Romae, in Dacia et ad Rhenum incisum, repente a Romanis tanquam proprium Dianae nomen fuisse usurpatum, quasi vero usitatissima fuerit illa numinis appellatio? Ceterum, ut hoc iterum moneam, Dea, de qua hic agimus, nusquam Sironia, multo minus Saronia audit, sed Sirona; et Struvius, falsa nominis scriptura apud Gruterum deceptus, permutationem vocalium A et I eo facilius admittendam esse censuit, quod, quum in lapidibus antiquis Sirona Apollinis perpetua sit comes, de cognatione quadam amborum numinum cogitare admodum proclive esset.

Fuerunt post Struvium, qui et ipsi Sironam cum Diana confunderent, aliis tamen subnixi rationibus: quibus equidem non magis adstipulari possum. Ex his primo loco commemorandus est Jo. Casp. Hagenbuchius ([18]), doctissimus ille et acutissimus *epistolarum epigraphicarum* auctor, qui fluctuans inter varias etymologias ex Orientalium linguis petitas, Sironam dictam fuisse suspicabatur aut ab hebraico צהר *luxit*, aut a סהר, *rotundus* fuit, nisi quis potius chaldaicum סהרא, quod *lunam* significet, in subsidium vocare mallet: cogitabat quoque, ut tandem haberemus quod statueremus de Sirona, de vocabulo שִׁיר, *cantilena*, quam quidem derivationem ego non satis intelligo. Sed quid in his diutius moror? Illud enim, me non monente, unusquisque videt, Hagenbuchium, sagacissimum licet inscriptionum interpretem, sibi ipsi, quod ad Sironam adtinet, parum satisfecisse. De alia, quam idem tentavit, ratione, postea dicam commodiore loco.

(18) In epistola scripta ad Lamejum a. clↄlↄcccxiv. vid. Museum Schoepflini, rec. J. J. Oberlin, I. Lapidarium p. 17.

Schoepflinus deinde, cuius sententiae olim saltem calculum suum adiecit Oberlinus ([19]), nominis originationem e Suida peti posse censebat, qui Σεὶρ, σειρὸς, ait, ὁ ἥλιος. καὶ σείριος: ut quemadmodum a Phoebo dicta fuerit Phoebe, a Cynthio Cynthia, sic a Σεὶρ, i. e. Sole, formari potuerit Σειρώνη, Luna. Nescio, an haec adhuc placeant Oberlino: equidem, quod pace tanti viri dicere liceat, ita potius statuerim, Solem, qui a Graecis passim Σείριος appellatur, id cognominis accepisse a σειρέω, σειραίνω, σειράζω, quae verba significant *aestu torrere, calore exsiccare;* adeoque Solem sane ita vocari potuisse, Lunam non item: ut taceam a σεὶρ, sive σείριος, sc. ἀστὴρ, per linguae Graecae leges vix formari potuisse femininum σειρώνη ([20]).

Quas igitur hactenus recensui nominis Sironae explicationes, eae, nisi me omnia fallunt, paucis satisfacient, et certe, si tamen verum est, Sironam eandem esse cum Diana, Apollinis sorore, hoc aliunde saltem probandum esse videbitur. Ceterum homini vel mediocri acumine praedito, diversorumque orbis terrarum idiomatum vocabulariis stipato, plura eiusdem generis, ne dicam meliora, excogitare haud adeo difficile fuerit ([21]). Sed ad alia transeamus.

(19) V. Museum Schoepflini l. c. p. 18. — Schoepflini eam sententiam fuisse, video ex Sattleri libro supra laudato, *Geschichte von Würtenberg* T. I. p. 188. ubi haec leguntur: „*Herr* Schoepflin *giebt in einem abgelassenen geneigten Schreiben seine Gedanken dahin zu erkennen, daſs durch den Apollinem die Sonne, durch die Sironam aber der Mond oder Gestirne könnten verstanden werden.* Σεὶρ *heiſset im Griechischen das Gestirne; und weil* ει *wie ein i ausgesprochen wird, so kann es gar leicht geschehen seyn, daſs die Sirona daraus entstanden.*"

(20) cf. Vossii Etymologicum L. L. v. Sirius, ubi plura collecta sunt.

(21) Sic forsitan miraberis (nugari enim paullulum lubet) neminem Sironam cum Σελήνη comparasse. Quum enim vel ex Vossii tractatu de literarum permutationibus abunde constet, Latinos Graecorum E, Λ et H saepius mutasse in I, R et O, σΕΛΗνη nullo fere negotio transformabis in sIROnam, habebisque, quam voluerunt, *Deam*



Quum Struvius, Hagenbuchius, Schoepflinus, aliique in explicando nomine ignoti nostri numinis in eo saltem convenissent, ut eam pro sorore Apollinis, Diana sive Luna, haberent, exstiterunt ecce duo Itali, viri sane doctissimi, qui in alia omnia abeuntes, Sironam *pistrinorum tutelam* fuisse contenderent. Quae quidem singularis plane sententia mihi primum innotuit ex opere illo eruditionis vastae, vanaeque interdum, plenissimo, quod instar commentarii in vasculum quoddam inter ruinas Herculanenses repertum, ante hos quinquaginta annos in lucem emisit Jacobus Martorellius (22). Hunc Gorii quandam dissertationem, qua is numen aliquod ignotum, pistrinorum tutelam, cui *εὐνόστου* femineum fuerit cognomen, cum heroë Εὐνόστῳ, caelibum tutelari deo, confuderit, cuius cultus e Tanagra Boeotiae Neapolim fuerit translatus, acriter impugnantem, atque Gorio refutato, haec adiicientem videbam (23): „Ceterum quid in re

Lunam. Quae si non placuerit, age, petamus radices ex Oriente. Apud Chaldaeos סרא significare aiunt *foetere*, et *foetorem* rabbinice appellari simillimo vocabulo סרחון, *Sirhhôn;* cui quidem nominis originationi non parum, credo, favebis, si forte fando audieris, fontem Oppenhemiensem iam patrum memoria ab incolis vulgo *foetidum* (*Stinkbrunnen*) fuisse nominatum ob odorem, quem spargit, sulphureum. Ita Sironam nostram vides fuisse nullam aliam quam Mephitim Deam de qua Servius ad Virgil. VII. Aen. 84. perquam opportune: *Mephitis*, ait, *proprie est terrae putor, qui de aquis nascitur sulphuratis*, unde Heynius omnino aquas sulphuratas in Mephitis tutela fuisse suspicatur. Sed video te, qui haec legis, putidiusculam hanc nominis interpretationem aversatum, aliam quaerere: en tibi igitur radicem ex Africa, portentorum, ut nosti, feraci, quae Sironam tibi repente sistet *salutiferam Deam*, *Dianam medicam*, illam ipsam, de qua satis multa collegit J. C. Wolfius in Catalogo feminarum olim illustrium p. 326. Adi modo Castelli Lexicon heptaglotton, videbisque apud Aethiopas SARAIV esse *sanare*, et SYRAIY vocari *medicum!* — Sed ohe! iam satis est.

(22) De regia theca calamaria sive *μελανοδοχείῳ* eiusque ornamentis, Neapoli 1756. II. Voll. 4. quem librum, rarioribus adnumerandum, (vid. Saxii *Onomast.* Vol. VII. p. 193. sq.) mecum communicavit Reuteri, Principi Primati a consil. intimis, humanitas.

(23) Vol. II. p. 668.

certa otium absumo, Pollux molarum numen inter Dearum turbam amandat, προμυλαία Θεός, et Hesychius id ipsum clarius recinit, προμυλέα Θεός ἱδρυμένη ἐν τοῖς μύλωσι, ac Suidas προμυλία, Θεὸς προμύλιος. et sane huius Deae κύριον nomen muliebre est, ut ipse Gorius me docet, Scil. Graece Σειρώ, et latine Sirona, quare amico etiam hac in re subiratus vivam, qui non solum Εὔνοστον inter molas steterit, verum imbecillissimi sexus fecerit". Existimabam igitur, Gorium, quem interdum parum feliciter in antiquis monumentis explicandis versatum fuisse noveram, in dissertatione aliqua de Deo pistrinorum tutela docuisse et demonstrasse, Sironam Graece appellatam fuisse Σειρώ, cujus tamen nominis nusquam apud veteres vestigium reperiebam: ipsa vero illa dissertatione inspecta ([24]) fieri non poterat quin statim intelligerem, quid de Goriano invento statuendum esset.

Nimirum id agebat Gorius, ut illustraret gemmulam antiquam, cui inscalptum videbat iuvenem seminudum, laevo brachio spicas, manu dextra porrecta molam trusatilem seu manuariam (qualis saltem interpreti visa fuit) gestantem. Hac vero icuncula *Genium frugiferum*, in aliis quoque monumentis obvium, et a Graecis Εὐνόστου seu προμυλίου nomine appellatum, exhiberi affirmabat: Romanum quidem illius proprium nomen hucusque ignorari, inveniri tamen aliquando posse. Huic deo Graecos, ut comitem sive sororem, junxisse porro narrabat προμυλίαν, quasi *Deam molarem*, et sane memorabile sibi videri, Romana marmora mentionem facere *Deae Sironae*, cuius nomen e graeco sit derivandum; dictam enim fuisse Σιρώ ἀπὸ τῶν σιρῶν, i. e. a scrobibus, in quibus condita frumenta asservantur. Cui rei fidem facere epigramma Era-

([24]) Inscripta est: *Osservazioni del Proposto* Anton. Franc. Gori, *sopra un' antica gemma annulare rapresentante Eunosto, Dio de' Mulini.* vid. Memorie di varia erudizione della Società Colombaria Fiorentina, in Livorno 1752. 4. Vol. II. p. 205. sqq.



tosthenis apud Eutocium et inscriptionem illam apud Gruterum a nemine explicatam. Ipsa Gorii verba in margine ([25]) ponenda curavi.

Non opus esse videtur, ut huius commenti vanitatem multis demonstrem. Nemo enim est qui non statim videat, nihil omnino Gorium protulisse, quo, Graecos Σιρώ deam coluisse, ostenderet, quamvis hoc illi a Martorellio, eiusmodi fabularum et ipso praeclaro artifice, facillime concessum fuerit: *ostendisse* enim se originatione sua nominis Sironae, quam et Hagenbuchium excogitasse sed mox abiecisse narrat Oberlinus ([26]), vix cuiquam persuaserit. Ceterum quid σιρὸς sit, ex Varrone et Columella ([27]) novimus omnes: in Eratosthenis vero epigrammate ([28]) vocabulum illud occurrit

([25]) „Aggiunsero i Greci a questo Dio anche una Dea, come compagna e forse sorella, e siccome quello per la presidenza alle macini dissero Promilio, così questa appellarono Promilia, cioè Dea Molaris. Può essere che in qualche tempo si dissotterri scritto il proprio nome di questo Dio presso gli antichi Romani; parendomi strano che si trovi appresso i medesimi memoria ne' marmi scritti della Dea Sirona, che essi presero da i Greci, così da loro detta dalle buche del grano, alle quali presedeva come Prestite e Tutelare; onde Σιρώ ἀπὸ τῶν σιρῶν, ed e da vedersi un Epigramma di Eratosthene appresso Eutocio. Di questa Dea Sirona si fa memoria in quest' ara data in luce nel Tesoro Gruteriano, e da niun altri, che io sappia, finora spiegata: APOLLINI GRANNO ET SANCTAE SIRONAE SACRVM." Subridicule, quod obiter moneo, Dei illius molaris, quem creavit Gorius, iconem Pittacum potius, unum ex septem sapientibus, saltem Pittaci discipulum aliquem (barba enim philosophica mentum iuvenis haud ornare videtur) referre affirmavit Martorellius l. l. p. 669. 670.

([26]) Vid. Museum Schoepflini l. l. p. 17. Miror Gorio suffragatum esse Paulum Mariam Paciaudi, *De Beneventano Cereris Augustae Mensore ἐξηγήσει*, Rom. 4. 1753. p. XXXVIII. sed is rem ipse haud examinasse videtur.

([27]) Vid. Indices ed. Gesnerianae, et si lubet, *d'Ancora della economia fisica degli antichi*, Neap. 1796. 8. p. 263.

([28]) Apud Brunck. Anall. Vett. PP. T. I. p. 478. illustrato in Reimeri *historia problematis de cubi duplicatione etc.* Gotting. 1798. 8. p. 142 – 159.

quidem, sed nihil prorsus, quod Sironae Deae lucem affundere queat.

Ex his igitur, quae hactenus exposui, satis intelligitur, Deam Sironam cum Iside Saitica iure suo adhuc dicere posse: *τὸν ἐμὸν πέπλον οὐδεὶς πω ἀπεκάλυψε.* Quod an mihi licuerit, nec satis scio, nec, si sciam, hodie dicere ausim: altera tamen dissertatiuncula, quae sentiam, expromere animus est: nunc dicendum erit, quid huic prolusioni meae more maiorum ceteris praemittendae, ne scilicet potiora quae dicenda restant, *turbata volent rapidis ludibria ventis*, locum dederit.

Nempe indicenda sunt semestria Gymnasii nostri, cui D. O. M. in perpetuum faveat, solennia. Crastino enim die, duobusque sequentibus, pueri et adolescentes, curae disciplinaeque nostrae traditi, quantum per huius aestivi temporis angustias profecerint, examine publico ostendent. In quo prima vice novo munere fungentes videbimus duumviros Clarissimos et Doctissimos, nunc collegas coniunctissimos; alterum GEORGIUM MICHAELEM ROTH, Ph. et I. V. D. Bibliothecae huius Civitatis publicae Praefectum, post desideratissimi Moschii abitum, in cuius locum Cl. Grotefendius noster successit, Gymnasii Professorem et Prorectorem; alterum ANTONIUM KIRCHNER, Ph. D. Ven. Ministerii Adiunctum et publicum Concionatorem, Gymnasii Professorem, cui Senatus Amplissimus eam provinciam tribuit, ut religionis ethicesque Christianae praecepta, historiaeque ecclesiasticae et linguae hebraicae initia Gymnasii discipulis traderet. Uterque potiora actae vitae momenta ita ipse exposuit: et Rothius quidem:



Natus sum, inquit, *Francofurti ad Moenum undecimo Calendas Martias MDCCLXIX. patre* Joanne Georgio Roth, *chori musici ad St. Catharinae quondam collega, abhinc quatuor fere annos mortuo. Prima linguarum atque artium notitia sedulo me imbuerunt Gymnasii patrii tum temporis doctores, partim adhuc vivi, partim iam mortui (vivi* Purmannus, Rambachius, Schillerus, *senes nunc rude donati, mortui* Scherbius, Zinckius), *quorum ob plurima in me merita memoriam grata mente recolere nunquam cessabo. Annum aetatis vicesimum ingressus primo in academiam, quae Jenae, deinde in illam, quae Giessae est, me contuli, ibique theologiae studio me adplicare coepi. Triennio elapso in patriam reversus et anno post in sacerdotii candidatorum numerum receptus sum. Quumque eadem de caussa cogerer, nimis saepe orationes sacras publicas habere, ex lege et instituto quidem maiorum, certe benevolis, sed iis, qui in literis proficere cupiant, impedimentum maxime inferentibus, paucis annis interjectis theologiae professione omnino decessi, quippe quae, quemadmodum jam dudum minus probata erat, tandem taedio etiam esse coepit. Quo facto omnem operam atque omne tempus, quod ab institutione puerorum adolescentiumque utriusque sexus, quam in domibus parentum curabam, liberum fuit, philosophiae studio impendi, cuius primum specimen, quod a. MDCCXCV. vulgavi, amplissimum ordinem philosophorum in academia Erlangensi adduxit, ut ineunte anno MDCCXCVI honore Philosophiae Doctoris et AA. LL. Magistri me ornaret. In fine ejusdem anni Umstadii prope sylvam, quae sermone vernaculo* der Odenwald *nominatur, scholam privatam suscepi, sperans fore, ut ea plus otii, quam quo in urbe patria uti possem, studio relinqueret. Quae spes etsi me non fefellerat, tamen, quia merces disciplinae constituta nescio minor an incertior fuerit, initio anni MDCCXCVIII Wetzlariam profectus sum, quum honestissimus* Hinckel, *negotiator vinarius, me rogarat, qui ad eum venirem liberorumque suorum praeceptoris officio in domo*

ipsius fungerer. Anno post doctoris in Lyceo Wetzlariensi a senatu ejus urbis nomine Professoris oblatum munus obii. Quod, ubi per tres annos et dimidium eo perfunctus eram, ob rationes, quas hic commemorare longum est, nec refert, abdicavi, quumque destinassem, Juris studio me addicere, Giessam vicinam abii. Ibi academicorum civium numero denuo adscriptus biennium sum moratus, hocque elapso gradum Juris Utriusque Doctoris consequutus in patriam urbem revertebar. Non ita multo post ex decreto Scabinatus amplissimi in numerum advocatorum ordinariorum receptus et interjectis decem mensibus urbis nostrae Bibliothecarii provinciam nactus sum. Postremo a Senatu nostrae civitatis splendidissimo munus Prorectoris et Professoris Gymnasii mihi demandatum est. — Huic vitae expositioni librorum, qui hucusque a me editi sunt, indicem adjicio. Nomina eorum sunt, quae sequuntur: 1) *Antihermes, oder philosophische Untersuchung über den reinen Begriff der menschlichen Sprache und die allgemeine Sprachlehre. Frankfurt und Leipzig* 1795. 8. — 2) *Ueber die bisherige Unmöglichkeit einer Philosophie des Bildes, der Musik und Sprache. Göttingen* 1796. 8. — 3) *Bruchstücke aus der allgemeinen Theorie des Unterrichtes und der besondern des Sprachunterrichts. Wetzlar* 1799. 8. — 4) *Systematische deutsche Sprachlehre für Schulen. Giessen* 1799. 8. — 5) *Anfangsgründe der deutschen Sprachlehre, vorzüglich zum Gebrauche in Schulen entworfen. Giessen* 1801. 8. — 6) *Anfangsgründe der deutschen Orthographie. Giessen* 1803. 8. — 7) *Dissertatio inauguralis juridica nonnullas observationes in titulum VI. libri XXII. Digestorum de juris et facti ignorantia exhibens. Giessae* 1804. 4.

Kirchnerus vero, cui mox accuratam et ex fontibus petitam reipublicae Francofurtensis historiam debebimus, vitae suae rationes hunc in modum enarrat:

 

Natus sum Traiecti ad Moenum ante viginti octo annos a parentibus honestis, et nunc vitam gerentibus, quibus fausta quaevis ex animo precor. Prima juventute ad mercatoris negotia designabar. Deinde ex sententia doctissimi Rectoris Purmanni *libera inter vitae genera eligendi potestas data est puero. Haud sane diu anceps optio animum puerilem jam tunc ad Musarum summam amoenitatem propensum torquebat.* — *In novo igitur tramite cum usque ad decimum septimum annum procederem, imbutus sum in Gymnasio primis solidioris doctrinae elementis. Usus sum eruditis simul atque humanissimis praeceptoribus, e quibus honoris caussa nomino* Rambachium, *Gymnasii Conrectorem quondam meritissimum, b.* Scherbium, *quond. Gymn. Prorectorem,* Schillerum, *III. Classis Collegam emeritum, b.* Poppium, *IV. Cl. dum vivus esset collegam,* Fresenium, D. Roemerum, *viros doctissimos quos nunc ut collegas humanissimos ex animo veneror; tandem Carolum* Carey, *gente Britannum, nunc in Gallia vagantem. Nemo autem est cui me magis devinctum esse sentio, quam plurimis titulis mihi nunquam satis venerandus* Purmann, *qui sane patris instar mihi fuit. Nil jam in votis est quam ut viam, quam illius ingressus sum auspiciis, eodem modo emetiar uti ille.*

Cum jam tempus adpropinquaret ubi ex patria discedentes juvenes ad scholas altiores promoventur, motus auctoritate Summe Ven. Hufnagel, *qui jam tum rebus nostris humanissime consulebat, academiam petii Erlangensem. Ibi institutionibus usus sum: Summe Venerabilis* Hänlein, *viri supra laudes meas longe elati, cujus doctrinam nil plane excellit quam ipsius amantissimi viri modestia; amplissimi* Pfeiffer, *linguarum orientalium professoris meritissimi, cuius scholis privatissimis in syr. et arab. per annum fere adfui; amplissimi* Breyer, *cuius humanissimi viri religiosissimus semper ero cultor; amplissimi* Abicht, *qui cuique fere philosophiae studioso satis notus est; amplis-*

simi **Meusel**, *teutonicae eruditionis archivarii; amplissimi* **Harles**, *philologi satis acuti; aliorumque quos brevitatis studio omitto. Adscriptus instituto regio ad phil. mor. et litteras elegantiores spectanti saepius natalitia Borussorum regis in auditorio majore publica oratione celebravi, saepius in disputationibus respondentis locum peregi. At Ven.* **Pfeiffer**, *cum amplissimi philosophorum ordinis existeret decanus, me incitavit ut summos in Philosophia aucuparer honores. Cuius auctoritati cedens, praevio examine doctoris philosophiae jura ac privilegia accepi.*

Absoluto stadio academico ad penates reversus, Candidatorumque ordini adscriptus, Institutoris publici munere in Orphanotropheo per quinque annos functus sum; simul concionatoris officium in hospitali mente aegrotorum mihi demandabatur. Anno MDCCCIV. summe Venerabilis **Hufnagel** *ex decreto nob. Reipublicae patrum me in ordinem ministrorum verbi divini apud Francofurtenses ad ritum protestantium, recepit. Elapso biennio post abitum Conrectoris Gymnasii, doct.* **Mosche**, *iubente Senatu provinciam accepi religionis christianae fundamenta nec non historiam ecclesiasticam ac linguam hebraicam publice docere, simulque patrum patriae beneficio professoris titulo auctus sum.*

Sed jam tempus est vela contrahere narrationis meae. Ego quidem me felicem praedico, cui sors contigit auspiciis optimi viri, Ven. Ministerii Senioris, intrare curriculum satis difficile concionatoris et institutoris publici. Metam attigero propositam si illum imitando, facem purioris doctrinae secutus, non inutilis ero patriae pars. Quid multis? hoc praeeunte sequar. Quod si operum monumentis, eruditione et doctrina consequi non potero, tamen partem titulorum eius, probi ac candidi viri nomen, consequar; cui titulo nullam lauream, nulla commoda anteponunt, quicunque veram virtutem amplectuntur.

Haec illi: nos viris optimis, quorum insignis doctrina et in do-



cendo dexteritas Gymnasio nostro maximae utilitati futura est, nova munera gratulamur ex animo, ipsisque faustissima quaevis a summo numine adprecamur.

Examen publicum Calendis Septembribus sequetur Lustratio scholastica, more maiorum peragenda.

Neque aliud nunc superest, quam ut omnes, quicunque iuventuti scholasticae favent, inprimis vero AMPLISSIMOS huius Civitatis PROCERES, VENERANDI CONSISTORII DIRECTOREM et ASSESSORES SPECTATISSIMOS, rerum sacrarum SUMME AC PLURIMUM REVERENDOS ANTISTITES, JURIS ac MEDICINAE DOCTORES CONSULTISSIMOS et CLARISSIMOS, etiam atque etiam, eaque, qua fas est, pietate et observantia, rogemus, ut solennibus his, volentes faventes, interesse non dedignentur.

P. P. Francofurti ad Moenum a. d. XXVI. Augusti CIƆIƆCCCVI.



Die vom Hochlöblichen Consistorium befohlene Anordnung der öffentlichen Prüfungen im Gymnasium zu Frankfurt den 27. 28. und 29. August ist folgende:

Mittwochs 27. August.

Vormittags	9 – 10.	*Religionslehre*, mit der IV. und III. Classe. Hr. Prof. Kirchner.
	10 – 11.	*Deutsche Sprache*, mit der VI. Classe. Hr. Colleg. Fresenius.
Nachmittags	2 – 3.	*Deutsche Sprache*, mit der V. Classe. Derselbe.
	3 – 4.	*Lateinische Sprache*, mit der IV. Classe. Hr. Colleg. Meidinger.

Donnerstags 28. August.

Vormittags	9 – 10.	*Neuere Geschichte*, mit der IV. und III. Classe. Hr. Colleg. Miltenberg.
	10 – 11.	*Neuere Geographie*, mit der IV. und III. Classe. Derselbe.
Nachmittags	2 – 3.	*Alte Geschichte*, mit der II. und I. Classe. Hr. Prof. Matthiä.
	3 – 4.	*Alte Geographie*, mit der II. und I. Classe. Hr. Prof. Grotefend.

Freytags 29. August.

Vormittags	9 – 10.	*Erklärung deutscher Dichter*, mit der II. und I. Classe. Hr. Prof. Roth.
	10 – 11.	*Lateinische Verskunst*, mit der II. Classe. Hr. Prof. Grotefend.
Nachmittags	2 – 3.	*Französische Sprache*, mit der III. Abtheilung. Hr. D. Römer.
	3 – 4.	*Englische Sprache*, mit der II. Abtheilung. Hr. Will.

Die öffentliche Progressionsfeyerlichkeit am 1. September, Nachmittags um 2 Uhr, wird von Hrn. Prof. KIRCHNER mit einer lat. Antrittsrede *de antiquissimis Francofurtensium scholis* eröffnet werden. Nachdem hierauf die gewöhnlichen Promotionen vom Rector vorgenommen worden sind, werden mit selbstverfertigten Reden folgende Jünglinge auftreten:

Aus der *ersten* Classe: 1. Johann Philipp König, über die Frage: *utrum Cicero a nobis solus sit in eloquutione imitandus, an uterque simul?* Zugleich wird er in seinem, und im Namen seiner Mitschüler, Johann Georg Friedrich Heinrich Schalck, und Anton Maria Kirschten, vom Gymnasium Abschied nehmen.

Aus der *zweiten* Classe: 2. Justus Georg Hausknecht, *über die von Jünglingen bey der Wahl ihrer Freunde zu beobachtende Vorsicht.*

3. Joh. Philipp Holweg, *Skizze von Düvals Leben.*

Fremde Gedichte oder Aufsätze werden declamiren:

Aus der *dritten* Classe: 1. Joh. Christoph Wärian, *de l'Eloquence.*

Aus der *vierten* Classe: 2. Joseph Heymann Goldschmidt, *Imitation libre du monologue de Hamlet.*

3. Eduard Carl Wilhelm Heinrich Hufnagel, *Der Kampf mit dem Drachen*, von Schiller.

4. Philipp Bernh. Eduard Beyerbach, *An die Natur*, ein Lied von König.

Aus der *fünften* Classe: 5. Georg Carl Adolf Bunsen, *die Natur*, ein Gedicht von Schmidt.

6. Joh. Heinr. Kross, *l'abeille et le Serpent, ou le bon et le mauvais esprit.*

7. Pet. Paul Barthol. Mettenius, *das Bild des Todes*, von Pfeffel.

Aus der *sechsten* Classe: 8. Friedrich Christian Gebhard, *der Storch zu Delft*, von Pfeffel.

9. Joh. Mich. Jac. Schöner, *das Lied im Freyen*, von Salis.

10. Heinr. Gerh. Blum, *die Brücke der Wittwe*, von Pfeffel.

Zuletzt wird der Rector an Sechs Beerische Stipendiaten, der Stiftung der seel. Gebrüder Beer gemäfs, Bücherprämien austheilen.